	420: usque ad 27 <i>ibi</i>	QV. LXXVIII, 5 ⁿ (fol. 629 ⁿ): Pseud. 1201—1220

37 In hac pagina legitur quaternionis numerus XI; conf. quae supra ad paginam codicis 357 adnotauimus.

38) Cum in paginis 389 et 404 supersint uestigia litterarum inuersarum, qualia solent fere remanere, si qua membranae litteris scriptae lacinia duo folia ope glutinis coniuncta sunt, ueri est simillimum huius quaternionis extimum foliorum par, cum uolumen sacrum bibliopegae conglutinandum traderetur, quoniam membrana in confinio paginarum 389/390 et 403/404 non satis solida uideretur, lacinia membranae litteris inscriptae adglutinata corroboratum esse; conf. quae supra de codicis foliis 49/50 et 67/68 docuimus.

39) In pagina 403 ductus uulgatae scripturae euanidius renouati sunt manu anglosaxonica; conf. quae supra ad paginam codicis 211 adnotauimus.

40) In hac pagina legitur quaternionis numerus XII; conf. quae supra ad paginam codicis 357 adnotauimus.

paginae no-
mberC. Geppert, *Die Papyri des Geoptr.*

Plauti

quaternio

421:	usque ad 34 <i>comederet</i>	QV. XLVIII, 2 ^r (fol. 378 ^r):	Mil. 820—839
422:	usque ad X 2 <i>litteras has</i>	QV. XLVIII, 2 ⁿ (fol. 378 ^u):	Mil. 840—860
423:	usque ad 6 <i>iezrahel</i>	QV. LI, 1 ^r (fol. 401 ^r):	Men. 92—I 2 inscr.
424:	usque ad 11 <i>igitur hic in-</i> (sic)	QV. LI, 1 ⁿ (fol. 401 ^u):	Men. 110—125
425:	<i>omnes</i> usque ad 15 <i>rectum</i>	QV. LXXXII, 3 ^r (fol. 651 ^r):	Rud. 588—603
426:	usque ad 19 <i>niuet</i>	QV. LXXXII, 3 ⁿ (fol. 651 ^u):	Rud. 603 A?—619
427:	usque ad 24 <i>quicum-</i>	QV. L, 1 ^r (fol. 393 ^r):	Mil. 1284—1305
428 ^a :	usque ad 30 <i>studiose fecisti</i>	QV. L, 1 ⁿ (fol. 393 ^u):	Mil. 1306?—1322
427:	circiter ⁴⁴) usque ad 34	QV. L, 8 ^r (fol. 400 ^r):	Men. prol. 57—75
428 ^b :	usque ad XI 4 <i>introduxit</i>	QV. L, 8 ⁿ (fol. 400 ^u):	Men. prol. 76—uers. 91
425 ^b :	usque ad 9 <i>sacerdos</i>	QV. LXXXII, 6 ^r (fol. 654 ^r):	Rud. 692—707
426 ^b :	usque ad 14 <i>tubis</i>	QV. LXXXII, 6 ⁿ (fol. 654 ^u):	Rud. 708?—724
429:	usque ad 18 <i>dñi</i>	QV. LI, 8 ^r (fol. 408 ^r):	Men. 339?—357 ^a
430:	usque ad XII 4 <i>sacerdotes</i>	QV. LI, 8 ⁿ (fol. 408 ^u):	Men. 357 ^b —373
431:	usque ad 9 <i>ioiada</i>	QV. XLVIII, 7 ^r (fol. 383 ^r):	Mil. 991—1003
432:	usque ad 12 <i>imple-</i>	QV. XLVIII, 7 ⁿ (fol. 383 ^u):	Mil. 1004?—1016 ^a

quaternio

433 ^a):	usque ad 18 <i>sanctificata</i>	QV. XLVIII, 1 ^r (fol. 377 ^r):	Mil. 789—804
434:	usque ad XIII 1 <i>regis iudae</i> (sic)	QV. XLVIII, 1 ⁿ (fol. 377 ^u):	Mil. 805—819?
435:	usque ad 6 <i>samaria</i>	QV. XLVIII, 1 ^r (fol. 385 ^r):	Mil. 1040?—1050
436:	usque ad 12 <i>fecit</i>	QV. XLVIII, 1 ⁿ (fol. 385 ^u):	Mil. 1051—1064?
437:	usque ad 17 <i>dixit heliseus</i>	QV. LXXXI, 1 ^r (fol. 641 ^r):	Rud. 229 ^b —246
438:	usque ad 21 <i>ossa helisei</i>	QV. LXXXI, 1 ⁿ (fol. 641 ^u):	Rud. 247—262
439:	usque ad XIII 2 <i>de hierusalem</i>	QV. LI, 3 ^r (fol. 403 ^r):	Men. 159—177
440:	usque ad 7 <i>diem</i>	QV. LI, 3 ⁿ (fol. 403 ^u):	Men. 178—193
441:	usque ad 13 <i>coepit</i> (sic) <i>ioas rex</i>	QV. LI, 6 ^r (fol. 406 ^r):	Men. 266—283
442:	usque ad 18 <i>sunt in</i>	QV. LI, 6 ⁿ (fol. 406 ^u):	Men. 283 A—302
443:	usque ad 25 <i>terminos ihli</i>	QV. LXXXI, 8 ^r (fol. 648 ^r):	Rud. 482—498
444:	usque ad 29 <i>regnauit</i>	QV. LXXXI, 8 ⁿ (fol. 648 ^u):	Rud. 499—517
445:	usque ad XV 6 <i>sunt</i>	QV. XLVIII, 8 ^r (fol. 392 ^r):	Mil. 1255?—1269
446:	usque ad 12 <i>generationem</i>	QV. XLVIII, 8 ⁿ (fol. 392 ^u):	Mil. 1270—III 7 inscr.?
445 ^b :	usque ad 18 <i>erat</i>	QV. XLVIII, 8 ^r (fol. 384 ^r):	Mil. 1016 ^b —1026
446:	usque ad 22 <i>pro eo</i>	QV. XLVIII, 8 ⁿ (fol. 384 ^u):	Mil. 1027—1039

41. Hoc folium Geppert „425—426A“ appellat.

42. Hoc folium Geppert „427—428A“ appellat.

43. Hoc folium Geppert „427—428B“ appellat.

44. Ultima huius folii pars amissa perit.

45. Hoc folium a Geppert „425—426B“ appellatur; nunc conglutinatum est cum folio 429-430.

46. Quaternionis numerus et hic et in eis quae consequuntur quaternionibus aut deest aut non apparuit.

47. Hoc folium Geppert „445—446A“ appellat.

48. Hoc folium Geppert „445—446B“ appellat.

paginae uo-
luntatis sa-
sequenti-
Mat-
uometus

continet libri Regum quarti

Planti

	{ 447: usque ad 28 <i>quod malū (erat)</i>	QV. XLIII, 4 ^r (fol. 340 ^r): Most. 923—939
	{ 448: <i>erat</i> usque ad 33 <i>coepisset</i> ⁴⁹⁾	QV. XLIII, 4 ^u (fol. 340 ^u): Most. 940—958
50	{ 449: <i>nomen matris</i> usque ad 38 <i>patris sui</i>	<i>SENECA (Medea 694—725)</i>
	{ 450: usque ad XVI 2 <i>hierusalem</i>	<i>SENECA (Medea 726—744)</i>
51	{ 451: usque ad 7 <i>nuntios</i>	<i>VLPHILAS (Nehem. cap. V, 13—16)</i>
	{ 452: usque ad 10 <i>eius est si-</i>	<i>VLPHILAS (Nehem. cap. V, 16—18)</i>
	{ 453: usque ad 15 <i>uespertinum et holocaustum</i>	QV. XLIII, 3 ^r (fol. 339 ^r): Most. 891 ^b —906
	{ 454: usque ad 19 <i>sermonum</i>	QV. XLIII, 3 ^u (fol. 339 ^u): Most. 907—922
	{ 455: usque ad XVII 5 <i>annis</i>	QV. LIII, L 4 ^r (fol. 428 ^r): Men. 1000?—1017
	{ 456: usque ad 11 <i>super aras</i>	QV. LIII, 4 ^u (fol. 428 ^u): Men. 1018—1035
	{ 457: usque ad 15 <i>contestatus est eos</i>	QV. LIII, 5 ^r (fol. 429 ^r): Men. 1036?—1052
	{ 458: usque ad 19 <i>fuera</i>	QV. LIII, 5 ^u (fol. 429 ^u): Men. 1053?—1065
	{ 459: usque ad 24 <i>ihl</i>	QV. XLIII, 6 ^r (fol. 342 ^r): Most. IIII 3 inscr.—1009
	{ 460: usque ad 28 <i>samaria</i>	QV. XLIII, 6 ^u (fol. 342 ^u): Most. 1010—1026 ^d
51)	{ 461: usque ad 33 <i>samarium</i>	<i>VLPHILAS (Neh. cap. VI, 14—18)</i>
	{ 462: usque ad 38 <i>alienos</i>	<i>VLPHILAS (Neh. cap. VI, 18—VII, 3)</i>
	{ 463: usque ad XVIII 4 <i>aeneum quem fe-</i>	QV. XLIII, 5 ^r (fol. 341 ^r): Most. 959—975
	{ 464: usque ad 8 <i>extremum</i>	QV. XLIII, 5 ^u (fol. 341 ^u): Most. 976—992
52	{ 465: usque ad 14 <i>mili feram</i>	QV. XXXIII, 4 ^r (fol. 260 ^r): Epid. I 1, 50 ^b ?—64?
	{ 466: usque ad 18 <i>commentariis</i>	QV. XXXIII, 4 ^u (fol. 260 ^u): Epid. I 1, 64?—75
53)	{ 467: usque ad 23 <i>eorum</i>	QV. XXXVIII, 3 ^r (fol. 299 ^r): Merc. 589 ^b —601
	{ 468: usque ad 27 <i>uobiscum</i>	QV. XXXVIII, 3 ^u (fol. 299 ^u): Merc. 602—619
54	{ 469: usque ad 32 <i>moriemini</i>	QV. XXXVII, 4 ^r (fol. 292 ^r): Merc. 356?—372
	{ 470: usque ad u. 37 <i>extremum</i>	QV. XXXVII, 4 ^u (fol. 292 ^u): Merc. 376—374 ^c
5	{ 471: XVIII 1 usque ad 8 <i>expugnatem</i> (sic)	<i>SENECA (Medea u. 235—254)</i>
	{ 472: usque ad 15 <i>cherubin</i> (sic)	<i>SENECA (Medea u. 255—274)</i>
55)	{ 473: usque ad 22 <i>excelsum</i>	<i>SENECA (Medea u. 196—214)</i>
	{ 474: usque ad 23 <i>libani</i>	<i>SENECA (Medea u. 215—234)</i>
56)	{ 475 ⁵⁷⁾ : <i>exprobrasti</i> usque ad 27 <i>contra me</i>	QV. XXXVII, 5 ^r (fol. 293 ^r): Merc. 374 ^b —406
	{ 476: usque ad 32 <i>nec mittet</i>	QV. XXXVII, 5 ^u (fol. 293 ^u): Merc. 407—424
58	{ 477: usque ad XX 1 <i>mortem</i>	QV. XXXVIII, 6 ^r (fol. 302 ^r): Merc. 681—696
	{ 478: usque ad 6 <i>urbem istam</i>	QV. XXXVIII, 6 ^u (fol. 302 ^u): Merc. 697—713
59	{ 479: usque ad 11 <i>descenderat</i>	QV. XXXIII, 5 ^r (fol. 261 ^r): Epid. I 1, 76—86
	{ 480: usque ad 13 <i>suis</i>	QV. XXXIII, 5 ^u (fol. 261 ^u): Epid. I 1, 87?—I 2, 10

49) Manus anglosaxonica, quae folium 149-150 exarauit, addidit haec uerba: *et sedebam amos et quant in hierusalem.*

50) Conf. quae supra ad folium 375/376 adnotauimus.

51) Conf. quae supra ad folium 209-210 adnotauimus.

52) Hoc folium Geppert „465—466A“ appellat.

53) Hoc folium Geppert „467—468A“ appellat, Loewe „467A, 468A“.

54) Hoc folium Mai „469, 470“ appellat, Geppert „469—470A“, Ritschl „469a, 470a“, Loewe „469A, 470A“.

55) Conf. quae supra ad folium 375/376 adnotauimus.

56) Hoc folium Geppert „469—470B“ appellat, Ritschl „469b, 470b“.

57) In summa pagina manus anglosaxonica adscripsit *deest hic*.

58) Hoc folium Geppert „467—468B“, Ritschl „469c, 470c“ appellat.

59) Hoc folium Geppert „465—466B“ appellat.

481: usque ad n. 18 medianam.	QV. LXXX, 3 ^a (fol. 635 ^a): Rud. prol. 20—37
482: <i>et exant</i> usque ad XXI 2 ^a <i>id.</i>	QV. LXXX, 3 ^a (fol. 635 ^a): Rud. prol. 38 ^a —56
483: usque ad n. 7 medianam.	QV. LXIII, 1 ^a ? (fol. 497 ^a ?): Truc. V, 55 A ^a ?—72?
484: usque ad 13 <i>funiculum samariae</i>	QV. LXIII, 1 ^a ? (fol. 497 ^a ?): Truc. V, 73 ^a ? usque ad finem
485: usque ad n. 17 extremam.	QV. ?
486: usque ad ?	QV. ?
487: usque ad XXII 3 ^a <i>ei</i>	QV. XXXVIII, 2 ^a (fol. 298 ^a): Merc. 556—572
488: usque ad n. 9 medianam.	QV. XXXVIII, 2 ^a (fol. 298 ^a): Merc. 573—589 ^a
489: usque ad 13 <i>nobis</i>	QV. XXXVIII, 7 ^a (fol. 303 ^a): Merc. 714—?
490: usque ad 19 <i>coram duo</i>	QV. XXXVIII, 7 ^a (fol. 303 ^a): Merc. ?—752
491: usque ad XXIII 3 ^a	QV. ?
492: circiter usque ad n. 10 extremam.	QV. ?
493: usque ad ?	QV. LXIII, 8 ^a ? (fol. 504 ^a ?): Vidal.
494: usque ad ?	QV. LXIII, 8 ^a ? (fol. 504 ^a ?): Vidal.
495: inde a uersu 15 medio (<i>et al[tare illud]</i>) circiter	QV. ?
496: usque ad n. 20 medianam.	
496: circiter usque ad n. 25 medium	QV. ?

Praeterea unius folii lacinae supersunt nullo numero ab Angelo Mai insignitae, de quo folio, quoniam Poenuli fabulae Plautinae exitus in pagina recta et Persae argumentum in pagina auersa scripta sunt, accuratius exposui in adnotationibus folio 561 B subiectis*).

Constitisse olim codicem Plautinum, qui propter litterarum genus quarto uel adeo tertio saeculo p. Chr. scriptus uidetur Antonio Ceriani, ex fasciculis undenaginta apparet ex numero LXXXVIII in fasciculi, quem paenultimum fuisse constat, extrema pagina adscripto. Toti perierunt fasciculi I—XIV, XVII—XX, XXII—XXIV, XXVI, XXXII, XXXVI, XXXVIII—XLI, XLIII, LIII, LVIII, LXI, LXII, LXV, LXVI, LXXIII, LXXXIII, LXXXV, LXXXVII, integri permanserunt modo octo XXVII, XXXV, LVI, LXX, LXXIII, LXXV, LXXXVI, LXXXVII suo quisque numero in extremi folii pagina auersa insigniti, praeterquam quod pro XXXV falso scriptum est XXXIV; de reliquis plus minusue restat, atque ita, ut cum extremis foliis seruati sint fasciculorum numeri XVI, XXVIII, XXXI, XXXIII, XXXVII, XXXVIII, XLIII, XLVI, XLVIII, XLVIII, L, LI, LIII, LV, LVIII, LX, LXXVIII, LXXX, LXXXI, LXXXII, LXXXVIII. Integri fasciculi ad unum omnes quaterniones sunt, atque de ceteris etiam fasciculis et eis,

*) Hoc folium Gepper. 469—470 c. appellat.

†) Quo tempore Mai codicem Androsianum inuenit, hoc folium tegumento colicis proxime praecessisse indicat adglutinata schedula chartacea.

*) Haec Studemund perscripta reliquit, qui cum initio in animo habuisset amplissimum conscribere prooemium, quo cum multa alia pertractaret tum eam quam inter Ambrosiani et Palatinorum recensiones intercedere sibi persuaserat rationem, ingrauescente morbo consilio mutato angustissimis finibus se continere constituerat. Itaque, si ipse apographum edere morte prohibitus esset, edendi munus me suscepturum esse pollicitus cum eo mortuo ad prooemium conficiendum aggressus essem, rem sic instituendam esse putavi, ut, de quibus rebus se in praefatione expositurum esse uel in apographi notis uel in schedulis quibusdam indicauerat, eas quam diligentissime persequerer, ultro pauca quaedam adderem, quae apographo identidem perlecto a prooemii ratione non abhorreere uiderentur. Cum autem ille, ut et admirabili quodam ingenio praeditus et uiginti fere quinque annos in Ambrosiani libri studio uersatus omnia uel minima mente tenebat, de eis, quae in praefatione tractaturus erat, paucissima eaque breuissime litteris mandata habuisset, ad singulas res quae pertinebant satis magno labore mihi conquirenda fuerunt. Quo facilius, siquid uel praetermissi uel minus recte explicauit, ueniam me impetratum esse spero.

quorum partes supersunt, et eis, qui inter integros uel mutilos toti perierunt, plerisque certa uel probabili eorum, quae in eis perscripta fuisse necesse est, computatione idem efficitur. Sed ut de ultimis duobus fasciculis, quibus Stichi exitus inde a uersu 520 continebatur, priorem constat ternionem, par foliorum uel summum binionem oportet fuisse alterum (conf. quae in folii 702^u margine adnotata sunt), item mutilum fasciculum XXVIII, quo Casinae exitus inde a uersus IV 4, 2 altera parte continebatur, ternionem, deperditos fasciculos XLIII et LXXIV, quorum ille Mostellariae extremos uersus 1074—1181, hic Persae uersus 741—857 item extremos complexus est, biniones fuisse ueri simillimum est (conf. quae adnotata sunt in foliorum 218^u, 344^u, 584^u marginibus). Eiusdem generis fuisse uidetur fasciculus LXXXV. Eis enim quae inter folium septimum quaternionis LXXXIII et quaternionem LXXXVI intercederunt foliis secundum Palatinos Rudentis fabulae continebantur 6 septenarii (1039—1044) + scaenae IV 4 inscriptio + 146 septenarii (1045—1190) + scaenae IV 5 inscriptio + 14 senarii (1191—1204) + scaenae IV 6 inscriptio + 22 septenarii (1205—1226) + scaenae IV 7 inscriptio + 38 senarii + scaenae IV 8 inscriptio + 16 septenarii + scaenae V 1 inscriptio + 7 septenarii + scaenae V 2 inscriptio + 50 septenarii + 19 senarii + scaenae V 3 inscriptio + 67 septenarii = 304 septenarii + 71 senarii + 8 scaenarum inscriptiones, ad quem tamen numerum sine dubio aliquot uersus addendi sunt, siquidem et scaenarum inscriptionibus binos uersus tributos et septenariorum plus minusue propter longitudinem, ut assolet, bipertitum fuisse maxime est probabile. Quodsi minor septenariorum numerus bipertitus fuit, sufficiunt ad illam codicis lacunam explendam undecim folia (in singulis enim foliis insunt 2×19 uersus) = folium VIII quaternionis LXXXIII + quaternio LXXXIV + fasciculus LXXXV duorum foliorum, sin maior, e. gr. si inter denos septenarios singuli bipertiti fuerunt, foliis opus fuit duodecim, quorum ut duodecimi paginam auersam item, fasciculus LXXXV si fuit binio, huius extremum folium totum scriptura uacuisse oportet. Quamquam etiam hoc cogitari potest, fasciculo LXXXV duorum foliorum additum fuisse folium singulare, sicut inter quaterniones LXX et LXXI insertum fuit folium singulare, quo continebantur extremae Poenuli scaenae uersus 11—48 (conf. quae adnotata sunt in folii 561B^r margine).

Compositi sunt integri quaterniones ita, ut primae membranae pars interior i. e. natura leuior efficiat primi folii paginam rectam, auersam extremi, exterior i. e. natura pilosa primi folii paginam auersam, rectam extremi, pari modo posita sit tertia membrana, contrario secunda et quarta, quo fit, ut quae eandem indolem habent paginae inter se contingant. Compositio igitur foliorum talis est:

$$\begin{array}{cccccccc} \overline{1} & \overline{2} & \overline{3} & \overline{4} & \overline{5} & \overline{6} & \overline{7} & \overline{8} \\ \text{int. ext.} & \text{ext. int.} & \text{int. ext.} & \text{ext. int.} & \text{int. ext.} & \text{ext. int.} & \text{int. ext.} & \text{ext. int.} \end{array}$$

Ad eandem normam et e mutilis quaternionibus ei, de quorum pristino ambitu satis constat, fuisse compositos facile intellet, qui singulos deinceps examinauerit, neque discrepat ille Stichi ternio, qui praeter duo folia superstes est:

$$\begin{array}{cccccc} \overline{1} & \overline{2} & \overline{3} & \overline{4} & \overline{5} & \overline{6} \\ \text{int. ext.} & [\text{ext. int.}] & \text{int. ext.} & \text{ext. int.} & [\text{int. ext.}] & \text{ext. int.} \end{array}$$

Itaque non temere coniecero illam normam per uniuersum codicem ualuisse⁶²), neque sine grauissimis causis eam neglectam esse statueris. Nam quod Gustauus Loewe ex iis duobus foliis, quae ex Captiuorum fabula supersunt, alterum (162) primum, alterum (167) extremum quaternionis fuisse putauit (cf. praef. ad

62 Etiam huius normae auxilio probari potest, qui locus foliorum ad Cistellariam pertinentium pari ab Angelo Mai paginarum numeris 297-298 et 299-300 insignito tribuendus sit. Nam cum pagina 297 interior, 298 exterior, 299 exterior, 300 interior sit, si hic uerus foliorum ordo fuit, folia illa per se referri possunt uel ad primum et octauum uel ad tertium et sextum quaternionis locum, quarum rationum prior abiicienda est propterea, quia in pagina 300 fasciculi numerus non apparet; sin autem paginae 299-300 praecesserunt paginis 297-8, efficerent folia uel secundum et septimum uel quartum et quintum, quartum

Capt. ed. Fridericus Schoell pag. X), id uel ea re refellitur, quod fol. 167 fasciculi numero caret: immo folia illa, cum prius sit ext./int., posterius int./ext., fuerint oportet uel secundum et septimum quaternionis uel ternionis secundum et quintum, ut in Ambrosiano libro aut multo plus aut paullo minus uersuum quam in Palatinis inter uersus 961 et 1006 intercessisse statuendum uideatur. — Neque uerisimile est folium singulare in apographo inter quaterniones XXXV et XXXVII insertum quaternionis XXXVI fuisse octauum, quoniam prior eius pagina est exterior, interior altera, sed multo est probabilius ut illud folium par, in cuius prima pagina per errorem Casinae prologi uersus 38—56 iterum scripti erant, ad quaternionem LXXXVI item hoc folium abluta pristina scriptura cum eo, quocum olim cohaerebat, ad alium quendam quaternionem suo loco esse adhibitum ita, ut inscriberetur fabulae didascalia uel argumentum. — Secundum eandem normam illud folium singulare, cui in apographo inter folia incertae sedis tertius locus tributus est, siquidem non ad Cistellariae uel Vidulariae deperditas partes pertinuit, ad Menaechmorum uersus 722 sqq. modo ita referri potest, ut quaternionis LIII aut secundum aut quartum fuisse statuamus, quorum neutrum uerum esse apparet; nam ad eam fabulae partem, quae intercedit inter uersus 594^a et 722, — sunt praeter uersus 594 frustulum et duas scaenarum (IV 3 et V 1) inscriptiones secundum Palatinos 106 uersus longiores (595—700) atque 21 senarii (701—721) — neque tria Ambrosiani libri folia (Quat. LII, 7. 8; LIII, 1 = 6 × 19 uersus) sufficiunt et quinque foliorum spatium (Quat. LII, 7. 8; LIII, 1. 2. 3 = 10 × 19 uersus) nimium est. De tertii autem folii initio per se quidem ita cogitari potest, ut uersus 596—601 in Ambrosiano libro recte in 13 dimetros dispestos et ex eis qui restant 100 uersibus longioribus 15 bipertitos fuisse statuamus; sed et obstat illa ratio neque est cur credamus inter uersus 722 et 752 in Ambrosiano uersum excidisse: nam aliter fieri non potest, ut ad uersum 752 referamus illas litterulas IS uel ES, quae in uersu undecicesimo alterius paginae folii apparuerunt. At omnia rectissime se habent, si illud folium ad Truculenti uersus II 8, 3 (633) sqq. referimus atque quaternionis LXI octauum fuisse statuimus; nam 14 × 19 uersus septem foliorum huius quaternionis antecedentium satis commode explentur eis, qui intercedunt inter II 4, 36 (390) et II 8, 3 (633), uersibus Plautinis, si quattuor scaenarum inscriptionibus II 5, II 6, II 7, II 8 binos uersus tributos atque ex uersibus longioribus fere 125 (II 5, 12—28; II 6, 1—69; II 7, 7—14. 21—26. 28. 30—31. 43—69) bipertitos fuisse fere 18 sumimus. Quod si uerum est, in priore illius folii pagina exarati fuerunt uersus II 8, 3—14 (633—644), scaenae III 1 inscriptio duorum uersuum, uersus III 1, 1—5 (645—649), in auersa uersus III 1, 6—20 (650—666) ita, ut huius paginae uersus undecimus, in cuius exitu apparuerunt IS uel ES litterae, fuerit fabulae uersus III 1, 12 (657), inter uersus autem III 1, 6 (650) et III 1, 8 (652) quattuor intercesserint uersus, de quibus in Palatinis modo primi tria uocabula restant. Atque ad eam fabulae partem, quae intercedit inter uersus III 1, 20 (666) et V 55 (947), capiendam quaternio LXII idoneus est; satis enim respondent 16 × 19 codicis uersus 280 fere illius partis uersibus, in quibus sunt 244 fere longiores, et sex scaenarum inscriptionibus (III 2; IV 1—4; V). — Sed ut sit illa coniectura speciosior quam uerior, hoc constat, ad ea, quae inter uersus II 4, 36 (390) et V 55 (947) in Ambrosiano interciderunt, capienda opus fuisse duobus quaternionibus, non minus, neque cogitari potest id foliorum par, cuius in paginis 483/484 exaratus uel Truculenti exitus inde a uersu V 55 (947), in paginis autem 493/494 apparent incertissimae litterarum umbrae, ita pertinuisse ad quaternionem LXII, ut in eo tenerent paginae 493/494, quae sunt ext./int., locum secundum, paginae 483/484, quae sunt int./ext.⁶³, septimum; accedit quod, quae in paginis 493/494 extant

rationum haec minus probabilis est, quod alterius folii contextus altero non uidetur continuari. Sed quaeritur etiam, ad utrum quaternionem XXX an XXXI, pertinuerint. In hoc, cum de foliis secundo et sexto constat, modo ita poni possunt, ut teneant locum tertium et sextum; hinc uero eo excluduntur, quod neque paginae 297/298 cum eis, quae antecedunt, neque paginae 297/298 cum eis, quae subsequuntur, propter argumentum coniecti possunt. Verissime igitur eas quaternioni XXX assignauit Studemund, qui si recte, ut uidetur, ex fabulae argumento conclusit paginas 297/298 praecessisse, non est dubium, quin huius quaternionis folia tertium et sextum effecerint.

63) Hanc horum foliorum indolem esse auctor est Antonius Ceriani; nam Studemund nescio quo casu hoc adscribere praetermisit.

reliquiae, eae ad nullum Truculenti locum reuocari possunt. Consentaneum igitur est in Plautino quoque codice ut in *Vulgatae* folium 483/484 praecessisse folio 493/494 et hoc ad *Vidulariam* pertinere, quae *Truculentum* olim excipiebat. Quodsi illi folio 483/484, ut aliter fieri non potest, primus quaternionis LXIII locus tribuitur, magna de folio 242/244, in cuius pagina auersa scriptus est *Vidulariae* prologus, existit difficultas. Siue enim id secundum quaternionis illius fuisse statuimus, pugnat hoc cum illa fasciculos componendi norma, ex qua potius esse debet tertium, cum pagina recta interior, auersa exterior sit, siue suum i. e. tertium locum tenuisse putamus, frustra quaeritur, quid tandem in folio secundo exaratum fuisse existimandum sit; nam in medio quaternione totum folium scriptura uacuisse nullo huius codicis exemplo probatur. Concedendum igitur uidetur librarium in hoc fasciculo componendo a sollemni ratione aberrauisse. — Foliorum denique par, quod praeterea ad *Vidulariam* pertinere paginarum titulis constat, quoniam et paginae prima quartaque exteriores, secunda atque tertia interiores sunt neque alterius folii contextum altero continuari manifestum est, secundum illam normam in suo quaternione eum ipsum locum tenuit, qui ei in apographo tributus est, ita ut prius folium secundum, posterius septimum fuerit quaternionis. Hunc autem fuisse LXIII, non LXV ea re probabile fit, quod tres illae scaenae, quarum fragmenta in his foliis extant, ad mediam potius fabulam spectare uidentur quam ad extremam.

In eis quidem, quae superstites sunt, codicis partibus librarium id egisse apparet, ut fabularum recentium in recentis folii pagina recta initium fieret. Nam quod in eius folii, cuius in pagina recta extremi *Poenuli* uersus extant, pagina auersa scriptum est *Persae* argumentum, id ab alio quodam librario postea additum esse constat. Et quod *Stichi* didascalica scripta est in folio uerso, non ut *Pseudoli* in folio recto, id propterea scilicet librarius fecit, quia pagina recta ne abluta quidem pristina scriptura idonea uisa est, in qua didascalica atramento et minio depingeretur. Vt autem librarius illa de causa post *Epidici* et *Poenuli* exitus, qui in paginis rectis scripti sunt, paginas auersas uacuas relinquere maluit, item *Trinummi* extremos uersus in pagina recta quarti folii quaternionis LVIII scriptos et paginam auersam uacuum relictam fuisse si sumimus, minime necesse est cum *Ritschelio* (praef. *Trin.* ed. 3 pag. XXVII sq.) statui fabulae partem inde a uersu 1079 in *Ambrosiano* libro plus habuisse uersuum quam in *Palatinis*; nam in his qui extat uersuum numerus, is prorsus sufficit ad sex illius libri paginas et septimae partem explendas⁶⁴).

In summis paginarum marginibus extare solent tituli, quibus ad quam fabulam singula folia pertineant, ita indicatur, ut aduersarum paginarum aut in priore *PLAUTI*, in altera nomen fabulae scriptum sit, id quod fit in *Bacchidibus*, *Captiuis*, *Casina*, *Cistellaria*, *Mercatore*, *Poenulo*, *Persa*, *Rudente*, *Sticho*, aut fabulae nominis una pars in illa, altera in hac: *EPI DICUS*, *MILES GLORIOSUS*, *MENAEUS* *HMI*, *TRINUMMUS*, *TRUCULENTUS*, *UIDULARIA*, *PSEUDOLUS*. Atque in mediis fabulis quod de paginis, quarum quidem summus margo integer est⁶⁵), paucissimae titulo carent (fol. 121^v et ^u, 128^u, 244^r, 392^u, 688^u, 689^r), casu id factum esse apparet. At a certa quadam ratione uidetur repetendum esse, quod titulus omissus est in eis paginis, in quibus exaratae sunt didascalicae (fol. 593^r et 681^u, itemque, si ipsius fabulae initium fit in recto folio (258 *Epid.*, 355 *Mil. glor.*, 562 *Pers.*, 682 *Stich.*), et si extremi fabulae uersus scripti sunt in folio uerso (166 *Capt.*, 397 *Mil. glor.*, 497 *Truc.*, 633 *Pseud.*), quamquam in eis, quae restant, codicis partibus bis ab hoc more discessum est, in exitu *Casinae* fol. 224^u, ubi in summo margine *PLAUTI*, et in principio *Trinummi* fol. 433^r, ubi in summo margine *NUMMUS* scriptum est, ut in absciso margine

64 Per quattuor posteriora huius quaternionis folia *Truculenti* initium sic fere descriptum fuisse conari statuendum:
 fol. V^r didascalica V^r prolog. 1—18
 „ VI^r prolog. 19—21 VI^u I 1, 1—17
 „ VII^r I 1, 18—36 VII^u I 1, 37—55
 „ VIII^r I 1, 56—74 VIII^u I 1, 75—77 + 2 uersus scaenae inscriptionis + I 2, 1—14.

Quae descriptio si uera est, ut in *Casina* et *Trinummo* paginae, qua prologi exitus continuabatur, pars uacua fuit relictas.
 65) Perierunt in mediis fabulis cum summis marginibus tituli foliorum 288, 292, 293^u, 298, 299^u, 303, 337, 368, 432, 504, 562^u, 567^r, 695.

antecedentis paginae, qua Menaechmorum exitus continetur, olim TRI scriptum fuisse uerisimillimum sit. Contra titulus extat et in principiis Casinae, Menaechmorum Pseudolique, quae in uersis foliis (196, 400, 593) scripta sunt, et in exitu Epidici, qui folio recto (280) continetur; nam de Poenuli exitu, cuius eadem condicio est (fol. 561 B^r), non constat, utrum titulum habuerit necne. Neque magis casu omissi uidentur tituli earum paginarum, in quibus insunt reliquiae prologorum Casinae (fol. 195, 196^r) et Menaechmorum (fol. 700^r)⁶⁶, quippe quos non Plautinos esse tam manifestum sit, ut ne ueteres quidem existimatores fugere potuerit. At eae paginae, in quibus Trinummii prologus si minus totus at certe maiore ex parte Plautinus perscriptus est, habent titulos. Quibus ne Rudentis quidem prologum, cum non minus germanus uideatur, caruisse satis probabile est, quamquam folii 635, quo eius pars reliqua continetur, summus margo abscisus periit.

Ipsis fabulis Plautinis quod in singulis paginis tributum est spatium (fere 17 × 17,3 cm), id diuisum est in undeuicenos uersus, quos paribus interuallis inter se distare propterea monendum est, quia in apographo propter rationes typographicas interualla haud raro modo latiora modo angustiora institui oportuit. Litterarum genus et titulorum et ipsius contextus quale sit, cognosci potest ex hoc specimine, quod Pauli Krueger sollertiae debetur:

pag. 222 = fol. 359^r pag. 221 = fol. 359^r

MILIS

GLORIOSUS

pag. 120 = fol. 593^a pag. 121 = fol. 594^r


PSEU

DOLOS

pag. 221 = fol. 359^r, u. 12. 15—19: Mil. glor. 185^b, 189—194

PROFECTOU IN EQUO QUAM DE IN GENI ODI GRIDIAI ARMULI EBRI
 SI QUIDI MCENTI IN SKICUISAS ITA MENI NITIAS EI
 OSKABIT LINGUA IMPERIDIA M MALITIA MAIQ. AUDACIAM
 CONFIDENTIAM CONFIRMITATE MER AUDULENTIAM
 QUI ARCUA SI IUM CONTRA UINCATI URE IURANDOSUO
 DOMIDOLOS DOMI DELENIFICACIA DOMI EALLACIAS

Neque immutatur litterarum character, ubi in longioribus uersibus prope a margine litterae minutiores fiunt, nisi quod S litterae forma interdum paulo liberior est. Discrepant a solitis formis in principiis uersuum paucis locis litterae T (Epid. 99, 230, 690, 691, Mil. 11) et K (Epid. 235, 247, 469, V 2, 67, conf. Addenda pag. 491; prorsus singularis est huius litterae forma in medio uersu Trin. 20), multo frequentius U, quae ubi

in apographo maior est ceteris litteris, haec fere eius in ipso codice species est  (in primi paginae uersus

initio: Cas. I 37, IV 1, 10, Merc. 269, Mil. 467, Poen. III 3, 41, 60, Rud. 780, Stich. 486; in aliorum uersuum initiis: Bacch. 487, 952, Cas. III 4, 1, V 4, 1, Cist. I 1, 82, 96, Most. 594, 696, Mil. 67, 157, 364, 376, 384, Men. 571, Poen. I 2, 101, 183, II, 27, V 2, 155, V 4, 32, 51, 94, Stich. 348, 393, 422, 480, 595). Praeter U litteram solito altiores formae inueniuntur modo litterarum T (Epid. 469), F (Cas. prol. 57, Poen. V 3, 21, V 4, 1), P (Cist. fragm. pag. 323, 1, Men. 446, Trin. 191, 417, 510, Poen. V 5, 6, Pseud. 354), Q (Rud. 518) et quidem in initio paginarum excepto uno loco Poen. V 4, 1, ubi F litterae altior forma in scaenae

⁶⁶ At folio 400 in quo praeter prologi extremam partem perscriptum est ipsius fabulae initium, suum habet titulum sicut folium 593^a, in quo Pseudoli fabulae et prologi qui extant uersus extremi et primae scaenae initium insunt; itaque ne folium quidem 498^a, quo Vidulariae prologus et primae scaenae inscriptio primusque uersus continentur, titulo caruisse ueri non est dissimile.

initio posita est, neque aliorum harum litterarum character discrepat ab usitato praeter T litterae Epid. 469. A primi librarii more scribendi coeua manus, quae in superiore margine folii 377^r tres, folii 383^r unum uersum exarauit, in folio 533^r inter uersum primum et secundum uerba quaedam inseruit, denique in contextu aliquot locis menda correxit (conf. Pers. 362. Pseud. 77). eo inprimis differt, quod contra constantem primi librarii usum H scribit pro K et V litterae forma utitur, quae propius ad V quam ad U accedit. Addidimus denique specimina et eius scripturae, qua in Sticho emendanda tachygraphus quidam corrector usus est:

pag. 76 -- fol. 696.

UOCAREM

et argumenti in Pseudolum, quod sicut argumenta in Persam atque Stichum saeculo fere quinto scriptum uidetur:

pag. 119 -- fol. 596^r

LENONEM FALLI SE COPHANTALI scula
SCORTO CALYDORUS POSITUR pseudulo

Correcturae, quae in quibusdam codicis partibus apparuerunt, partim ab ipso primo librario factae sunt partim a correctore quodam illi uel aequali uel fere aequali, quorum tamen manus non semper certe possunt distingui; praeterea in Sticho uersata est tachygraphi illius correctoris opera. Atque supra litteras perperam additas puncta sunt posita⁶⁷⁾, litterae omissae supra eum, ubi exciderunt, locum additae⁶⁸⁾ itemque supra falsas uerae scriptae⁶⁹⁾, rarissime in ipso contextu aliquid mutatum est⁷⁰⁾. Uno loco Poen. V 6, 21 apparuerunt supra uersum signa, quibus uerus uerborum ordo indicabatur; alia corruptelae signa posita uidentur fuisse Mil. 67. Men. 366^b. Trin. 365. Pseud. 146. Truc. II 1, 28. Vocabulum in contextu perperam scriptum ab ipso librario post exitum uersus aliquo interuallo interposito recte scriptum est Epid. 169, item, ut uidetur, in margine a correctore Truc. II 2, 17. Neque uero dubium est, quin etiam plura menda, quam nunc dispicere licuit, olim correctae fuerint, sed puncta, litterulae, signa euauerint⁷¹⁾. Sed si eas, de quibus constat, correcturas perlustraueris, tachygraphus ille corrector quae in Sticho posuit, longe plurima ita comparata intelleges, ut eum aut suum arbitrium secutum esse aut codicem adhibuisse cogitandum sit multo deteriorem

67) Conf. Merc. scaen. inscr. II 4 EUTÈVOKUS, Mil. 269 PERSECUTIUS, 540 TÒE, Men. 91 COÏTIDIE, 465 IADLOQUAR, Trin. 181 USSURAE, 183 PERUORSÀE, Truc. I 2, 77 FELLES, I 2, 79 CUIÑ, II 4, 31 ADUDIUI. Poen. I 3, 24 PERGINĀ, I 3, 30 BONAM, II 28 EUOLATICORUM, III 3, 23 QUIDE, Pers. 1 AEGENS, 168 SATISTĀ, Pseud. 703 IMPERITASĀ, 873 UEROSĀ, Rud. 549 TULNICULĀ, Stich. 203 COGÑAT, 276 PEORTO, 346 UTŪ, 474 FACIESTĀ, 517 SEDI. Aliorum punctorum species fallax est (cf. quae adnotata sunt ad Trin. 541. Truc. I 2, 41. Addend. pag. 494), alia casui tribuenda uidentur, ut Poen. V 2, 98 ANTIDAMAS, Stich. 495 ŠUM (conf. praeterea de Trin. 50 Addend. pag. 493 et de Trin. 428 ib. pag. 494), fortasse etiam Mil. 791 EĀ.

68) Conf. Epid. 456 AUORTE, Mil. 69 ABIUNT, 477 SIRE, 570 THISTUC, 596 ETIM, 601 CATELLA, 741 DEUERI, Trin. 11 UOCIUASURES, I 2 scaen. inscr. CALICLES, 176 OBSECRAUISSEPATER, 856 HAESUMPSI, 1050 FITPROPIO, Truc. II 2, 17 ANEAS, II 2, 18 HOQUOD, II 2, 20 DALIGNEAE, II 4, 3 AUPOSTULO, Poen. I 2, 87 GNATA, V 4, 73 APSCEDOPSECRO, V 5, 30 MALAM, suppl. 5 TETIGINUNC, Pers. 6 NONST, 624 PARIA, Pseud. 820 STIGIBUS, 1324 METERGI, totus uersus Stich. 226 inter uersus 230 et 227 insertus est.

69) Conf. Trin. 364 SISI, 522 ARGUMENTI, Truc. I 2, 81 PARCEPROMIS, Poen. V 4, 73 AGI, Stich. 168 GRAUIDOS, 351 COPIAM, 449 INUENIEM, Trin. 274 MAKI.

70) Conf. Pseud. 703. Stich. 624, fortasse etiam Stich. 203. Trin. 211. 541.

71) E gr uix tibi persuadeas fol. 589^r Pers. 596^r librarium littera QUOGEN ERLUTQUVNP non ipsam uersam esse, neque Trin. 521 aut Pseud. 436 transpositionis signum posuisse. Quamquam alii locis constat eum usum, quod praeterea, correcturam non esse factam; conf. quae de Trin. 566 in Addend. pag. 494 adnotata sunt.

et eo, unde descriptus est liber Ambrosianus, et Palatinorum archetypo, conf. 471 *illic* pro *illi*, 474 *libenter* pro *libente*, 477 *habea(m)* pro *habeo*, 478 *quaerita* pro *quaerito*, 510 *uocarem* pro *uocem* et *nisi* pro *ni*, 537 *istuc* pro *istoc*, 612 *proximo* pro *proxumo*; recte se habent modo haec: 533 *laba* (i. e. *laua*) pro *iaba*, 643 *hercle* pro *ercl*. 583 *a* et 623 personae nota H addita. Quamquam in hac ipsa fabula etiam a primo librario uel aequali correctore quaedam perperam mutata sunt; nam 215 pro uerissima scriptura *prae maerore adeo* supponi uoluit falsissimam *prae maerore maceo*, quam tamen ipsum excogitauisse uix est credibile, 232 falso suppleuit *iam (tem)pus est* pro *iam (o)pus est*, ut paulo ante (post u. 208), ubi idem uersus per errorem exaratus est, recte est scriptum, 624 ex *dixis* non restituit *dixi*, sed *dixti*. Incertum est, eidem an tachygrapho illi haec sint tribuenda: 497 *perii* correctum ex *periei*, 593 *tu* expunctum, non correctum (*tum*), item 633 *ut perierint* non correctum (*ut periere*), sed *ut* expunctum. Atque etiam Truc. I 2, 79 Ambrosiani scripturam foedissime corruptam AMANTISICUINQUODDABONONEST cum Palatinorum memoria integriore *Amantis siquit non danunt* contendenti uix potest esse dubium, quin in N littera expungenda librarius suo ingenio obsecutus sit. Falso porro mutatum est Mil. 570 *istuc* in *istut*, praeter necessitatem Trin. 181 *ussurae* in *usurae*, Pseud. 703 *turanne* in *tyranne*. Poen. II 28 quod librarius *euolaticorum* uocabuli prima littera expuncta mendum sustulit antiquitus propagatum, ut Ambrosiani et Palatinorum docet consensus, coniectura hoc fortasse assecutus est; at nisi codice adhibito emendari non potuerunt ita, ut emendati uel sunt uel esse uidentur, hi loci: Pers. 6 NONSTÜESTIUNT. 632 TAMENESIAURUSNONEST (i. e. tamenetsi id futurum non est), Pseud. 77 (SICC)OCULOI. Neque quae Mil. 552 ex AQUAAEQ. lectione optima corrigendo effecta est lectio minime absurda AQUAAEQ.^{UAE (uel 1)}, ex aliquo codice petita esse non potest, praesertim cum ex Palatinorum memoria apparere uideatur in horum archetypo utramque fuisse coniunctam, idemque statuendum est de uerbis DVLCICVLVSCASEVS, quibus inter Poenuli uersus I 2, 176 et 178 insertis corrector indicare uoluit hoc loco uersum intercidisse, qui in Palatinis seruatus est. Denique ab eodem, qui in folii 377^r margine superiore addidit Militis uersus 789—791 in contextu omissos, in folii 383^r ad eandem fabulam pertinentis item superiore margine scriptus est hic uersus: (ER)AMEACVIVS PROPTERAMOREM CORNVNCMISER quem si ille inseri uoluit, ut uideatur, inter uersus 996 et 997, statuendum est eum aut miro quodam casu a librario in contextu Ambrosiani libri eodem ipso loco omissum esse, unde in Palatinorum archetypo intercidit, aut alienum fuisse a recensionibus et Ambrosiani et Palatinorum atque adscitum esse ex aliquo codice tertiae illius recensionis, cuius quaedam uestigia in Nonii Marcelli libro nuper inuestigauerunt Carolus Reblin (De Nonii Marcelli locis Plautinis, Gryphiswaldiae 1886) et Hermannus Caesar (De Plauti memoria apud Nonium seruata, Dissert. philolog. Argentoratenses selectae, uol. XI pag. 173—331).

Scaenarum inscriptionibus longe plurimis bini sunt tributi uersus, quorum in priore personarum nomina perscripta esse solent⁷²), posterior atramento caret. Item eis locis, ubi inscriptio uel scaenae uel prologi (Trin., Vid.) uno continetur uersu⁷³), hic semper caret atramento. Atque tribus huius generis locis Epid. IV 1. Men. I 2. Rud. III 5 personarum nomina ab ipso primo librario inter eum, qui atramento caret,

72 Bis. Poen. V 3 et V 5. earum personarum nomina, quae in proxima scaena perscripta erant, non ipsa repetita sunt, sed positum est IDEM.

73) Quod in Bacchidum et Captiuorum reliquiis quae extant ternae inscriptiones singulos habent uersus, etiam per eas partes, quae exciderunt, hanc rationem ualuisse inde minime est colligendum. Nam quam in hac re librarius sibi constiterit, praeter ceteras docet Epidicus fabula, cuius de octo scaenarum inscriptionibus superstitis quattuor sunt binorum uersuum (I 1, II 1, II 2, IV 2), quattuor (III 4, 38, IV 1, V 1, V 2) singulorum, sed ita, ut librarius IV 1 personarum nomina omnia ipse inter uersus inseruerit. Neque in Menaechmis fabula prorsus sibi constitisse uideatur; nam quamquam scaenarum inscriptiones I 4. II 1—3. III 2—3. IV 1—2. V 8—9 singulis uersibus continentur, tamen et I 2 ipse librarius personarum nomina postea item atque in Epidico inter extremum antecedentis scaenae uersum atque uersum uacuum relictum inseruit, et inscriptiones I 1 et I 2 duos habuisse uersus probabile est.

uersum et antecedentem Plautinum inserta sunt: apparet igitur illum consulto eis, qui atramento uacant, uersibus ad illa nomina inscribenda noluisse abuti, cuius rei causam inde repetendam esse manifestum est. quod illi uersus rubricatori reseruata erant, quibus personarum genera (senex, adulescens, seruus etc.) sollempni more rubro exararet, sicut in codice Bembino factum est. Atque aliquot locis factum est, ut librarius ea, quae in altero uersu erant exaranda, in priore uersu poneret aut omnia (Mil. III 1 SERUUS SENEX ADULESCENS, Rud. II 7 SERUUS SENEX PARASITUS) aut partim (Poen. V 2 POENUS pro HANNO, Rud. III 5 LENO pro LABRAX, conf. praeterea Stich. I 2 MULIERES, V 4 TIBICINES). Coloris autem quamquam nullum restat uestigium, tamen uix est dubium, quin illi uersus, qui nunc scriptura uacant, olim reuera rubris litteris inscripti fuerint, quas, cum ablueretur antiqua scriptura, item euanuisse putandum est, atque euauerunt didascaliarum uersus olim minio scripti⁷⁴). Eodem modo, si rubrica exarata fuerunt, non solum signa illa C et DV, quae cur in hoc codice antiquissimo ommissa fuisse putandum sit, nulla causa est perspicua, uidentur periisse, sed etiam personarum notae Graecis nimirum litteris scriptae et in scaenarum inscriptionibus ante personarum nomina et in ipso contextu. Nam hic modo intra uersus eis, quae iam restant, spatiis personarum mutationes indicatas fuisse, non item in uersuum principiis ut per se uix est credibile, ita illas notas non defuisse testimoniis satis certis probatur. Quorum grauissimum hoc est, quod tachygraphus ille corrector, qui Sticho fabulae emendandae operam dedit, in initio uersus 623, ubi personae mutatio fit, atramento adscripsit Graecam litteram ·H·, uidelicet ut notam a primo librario omissam adderet⁷⁵). Praeterea in Militis uersu 790, quem cum uersibus 789 et 791 altera manus in superiore margine suppleuit, quod inter uerba SEDQUIDEAVSVSEST et VTADTEEAM sqq. pro personae spatio scripta extat A littera, uix est dubium, quin corrector personae notam ipse atramento latine scripserit, quam rubricator minio graece scribere debuit⁷⁶). Ceterum talis notae minio scriptae umbrae apparere uisae sunt Merc. 481 (conf. quae de hoc uersu in Addendis pag. 492 adscripta sunt); certa uero minii uestigia permanserunt in quaternionis LXXI folio 1 Br.

Longiores uersus Plautini ut, si fieri posset, uno codicis uersu continerentur, librarius modo ita rem instituit, ut prope a margine litteris minoribus uel sensim pedetemptimque imminutis uteretur⁷⁷), modo notas adhibuit et contignationes. Atque notarum longe frequentissimum genus est Q·⁷⁸) pro —*quē* syllaba, quae satis raro plene scribitur (conf. e. gr. Stich. 103 NOSQ·TEQUE), idque in quauis uersuum sede usurpatur et in quouis uocabulorum genere (*atq., neq., itaq., namq., quoq., undiq., deniq., —cumq., undiq., usq., uterq. etc., quisq. etc., pleriq. etc., quinq.*, semel uel STULTILOQ·, ut uidetur, Pers. 514); aliquotiens positum est etiam pro —*quē* (AEQ· Cas. IV 4, 21. Epid. 648. Mil. 552, ADAEQ· Cas. III 5, 45) et pro *quae* (Pers. 511. Pseud. 817), quattuorque locis inuenitur in *quco* uerbi formis (Trin. 92 Q·O, Pers. 194 Q·ANTUR, Pseud. 570 NEQ·AD — Q·AT). Contra B· notam pro —*bus* librarius et satis raro admisit et plerumque in exitu uersuum (Most. 857 PEDIB·?, Mil. 1420 TESTIB·, 1424 FUSTIB·, Trin. 12 AEDIB·, 35 PLURIB·, 337 UIRTUTIB·, Truc. I 2, 15 FURIB·, Pers. 594 QUIB·PARENTIB·, Pseud. 179 QUIB·, 343 OMNIB·, 580 HOSTIB·, Rud. 738 PARENTIB·, Stich. 61 AEDIB·, 105 MORIB·, 131 APSENTIB·), rarissime aliis locis (in primo uersu QUIB· Pseud. 179, OMNIB· Stich. 684, in interiore MANIB· Pseud. 266). Item — nota, cuius usus frequentissimus est — ponitur autem supra litteram, ad quam pertinet, uel ipsam uel iuxta —,

74) Conf. de hac re quae Studemund exposuit in Commentationibus in honorem Theodori Mommseni pag. 23.

75) In uersu 583 idem quam litteram ante SPISMEA uerba addidit, ea utrum O interiectio, sit an Θ personae nota, non satis certum est; hoc si uerum est, errauit, ut in aliis quoque rebus eum errauisse constat.

76) Fortasse idem a primo librario factum est in eiusdem fabulae uersu 173, ubi item spatii loco ad personae notam capiendam relictis inter uocabula PALAMEST et DETEGULIS A littera exarata extat. Quod si uerum est, aut hic aut illic falsam notam positam esse statuendum est, id quod facile fieri potuit.

77) Aliquotiens O litterae forma minutissima inter maiores litteras posita est, conf. Merc. 256. Mil. 561. Trin. 1051. 1059. Poen. V 4, 55. Pseud. 671. 698. Stich. 591.

78) Punctum ad superiorem litterae partem adpositum esse solet, rarissime ad inferiorem adscriptum est, ut Epid. 10. In exitu uersuum quae aliquot locis apparuerunt puncta, ad summam litteram extremam adscripta sunt Men. 111. 119. 125. Stich. 513, ubi puncti forma prorsus singularis est, ad medianam Cas. IV 2, 5.

modo inuenitur in ipso uersus exitu uel. id quod multo rarius est. paulo ante (Pseud. 289 LENO^{NI}ST [conf. Rud. 583], Epid. 95 CORRUP^TUSCAPU, Pseud. 86 REDD^AUMI, 681 HOMIN^EARC^T, Capt. 915 GL^ADI, Trin. 261 IGNOR^ACI, 308 N^OSUM, Truc. I 2, 86 I^US, II 1, 27 TAM^E, Rud. 226 CO^UENI^O), atque ubi pro M littera posita est, tantum in extremis, ubi pro N⁷⁹), etiam in mediis uocabulis (conf. praeter ea, quae modo attulimus exempla Capt. 915. Trin. 264. Truc. I 2, 86. II 1, 27. Rud. 226, CO^U CLAU^E Cas. V 2, 7, U^U DE Merc. 487. ESC^E DERIS MIL. 1150. CO^U TROUERSIAM Men. 592. CE^U TUM Trin. 388. N^O DUM Pers. 174. QU^A DO 498. CO^U DITUM Pseud. 575. LUBE^U TISSIMO 1316. PARE^U TEM Stich. 96, CONUE^U TAS 127. ARG^U TI 587⁸⁰), ut Pseud. 1283 CO^U PROB^ATUM interpretandum sit *con-*, non *comprobatum*. — Contignationibus autem librarius usus est his:

N plerumque in uocabulorum, qui extremum uersus locum tenent, exitu (conf. Bacch. 928. Cas. III 6, 2. IV 1, 13. IV 3, 6. 8. Cist. fragm. pag. 198. 3. 14. 311. 12. Merc. 407. 541. Most. 668. 681. Mil. 66. 479. 715. 726. 731. 1273. 1317. Men. 457. Trin. 1076. Truc. II 2, 40(?). Poen. I 2, 107. IV 2, 41. 95. V 2, 20. Pers. 25. 437. 495. 513. Pseud. 203. 953. Rud. 857), rarius in mediis uocabulis: SENTIS Cas. III 6, 1. INUOR Most. 836. INNOCEN^E Mil. 364, bis in eodem uocabulo RENUN^TIAN^E Pseud. 433;

UM plerumque in exitu uocabulorum, quae uel in ipso uersus fine uel paulo ante locum habent (conf. Bacch. 494. 926. 932. Cas. V 4, 3^b. Cist. I 1, 105. fragm. pag. 297, 4. 311, 16. II 1, 18. 29. Epid. 569. 580. Most. 849. 949. 992. Mil. 208. 1038. 1138. Truc. II 1, 21. II 2, 11. Poen. IV 2, 92. 95. 104. V 4, 35. V 5, 52. Pers. 360. 399. 553. Pseud. 309. 687. 729. Rud. 743. Stich. 58. 68. 81. 283. 427. 449, semel Cist. II 1, 33 in medio uersu), rarissime in mediis uocabulis (conf. SUMUS Cas. V 2, 3. MAX^UME Epid. 233. SUMUS Mil. 257. PROX^UM^U Pseud. 960. POSSUMUS Stich. 72. DOM^U 128. AUSCULTAUMUS 146, semel ita, ut duo uocabula conectantur HAUMALE Pers. 593;

IA praeter unum Cistellariae locum fragm. pag. 291, 11, ubi in primo uersu stare uidetur, in fine uersuum uel sub finem in quauis uocabulorum syllaba (conf. Bacch. 672. 947. Cist. fragm. pag. 297, 8, 312, 16. Epid. 103. Mil. 1307. Men. 465. 518. Poen. I 2, 97. V 4, 44. Pers. 423. 616. Pseud. 377. 602, ubi A litterae forma maxime singularis est, Stich. 108, cum — nota coniuncta est Mil. 178. 1170. Pseud. 1318);

UR in ultimi uel paenultimi uocabuli exitu (conf. Bacch. 955. Cist. fragm. pag. 322, 12. Merc. 527. Mil. 362. Men. 223. Trin. 245; Merc. 484. Mil. 185^b. Pseud. 1139. Truc. II 1, 5. Pseud. 1139), bis in medio uocabulo FURCIFER Mil. 545, MURURANT 744;

UN bis in extremis uersus uocabulis Men. 477. Stich. 305;

OM semel Most. 954 in extremo uersus uocabulo; item

MU ter Mil. 744 (uide UR). Poen. V 4, 9. Pseud. 693; item

UN Capt. 906. Men. 221. Poen. IV 2, 95. Pers. 581. Pseud. 381. 823. Rud. 219, atque

UU Cist. I 2, 2.

Si propter longitudinem uersus Plautini uno codicis uersu non capiuntur, id quod ut in senariis rarissime fieri consentaneum est (conf. Epid. 496. Mil. 60. Men. 220. Stich. 237. 243), ita plerumque fit in

79) Men. 231 librarius pro SUGGER^AT falso scripsisse uidetur SUGGER^A.

80) Adde locum, qui praeter uocabulis LUMENS — MAOR exempla TAM^E Cist. II 1, 18. Poen. IV 2, 56. Pseud. 402. Rud. 1006, NOME^U Pers. 623, N^O, Epid. 574 et fortasse Trin. 649; Epid. 607, ubi scriptum legitur NPETIT, uix est dubium quin librarius NO^U scribere uoluerit. Ceterum illa nota haud raro uel a librario omissa est uel euanuit: conf. Most. 908. Mil. 807. 996. Men. 123. 1049. Poen. III 2, 14. IV 2, 105. Pers. 6. Pseud. 219. 979. 980. Rud. 224. 225. 583. Stich. 86. 104. 267. 525. 534.

octonariis anapaesticis trochaicisque, haud raro in septenariis trochaicis et iambicis atque in octonariis iambicis, reliqua pars in subsequente uersu fere inde a medio scribitur⁸¹). Atque in uocabulis dirimendis librarius hanc tenuit normam. ut consonantem singularem (etiam H) coniungeret cum altera uocis parte (conf. e. gr. *e//dissertem* Cist. fragm. pag. 322. 8. Stich. 302. *ma//gis* Cas. II 2, 11. *amo//rem* Trin. 265. *prae//hibeo* Pseud. 182. *fabri//cam* Epid. 690. *instru//xi* Mil. 1147. *dissimulabi//liter* Mil. 278), duarum uel uocalium uel consonantium alteram priori, alteram posteriori tribueret parti (conf. *rapi//at*) Men. 193. *improbi//orem* Trin. 312. *Paegni//um* Pers. 271. *muli//erculam* Pseud. 675. *principi//o* 970. *(habe)//o* 1188. *ebri//us* 1295; *ad//uenit* Capt. 911. *im//mo* Mil. 68. Pers. 613. *sol//ui* Epid. 724. *ser//uum* Stich. 371. *sus//citet* Mil. 689. *res//ciscere*) Merc. 385. *is//tinc* Pseud. 1196. *ius//seris* Stich. 624), praeterquam quod *dr* et *tr* nusquam disiunxit: *Scele//dre* Mil. 399. *pa//tronos* Men. 578. *nos//tram* Trin. 382. Pers. 610. *nos//tra* Stich. 695⁸²). Neque umquam, ubi uersus dispesti sunt, in alterius principio ST scribit pro EST (conf. Pers. 641. Pseud. 233. Stich. 544[?]). De orthographia quae praeterea dicenda erant, quoniam in indice orthographico composita sunt, hic quidem hoc unum addere liceat, alias fabulas aliis diligentius atque constantius ita correctas esse apparere, ut normae orthographicae atque orthoepicae ratio haberetur.

Septenariorum atque octonariorum initium fit a primo uersu, at et senariorum principia plus minusue inde remota esse solent, et canticorum cola, quo minutiora sunt, eo longius in interiorem uersum a margine recedunt⁸³). Sed non semper librarius in hoc genere sibi constitit; nam praeterquam quod aliquotiens eum a sollemni more propterea deflexisse manifestum est, ne senarios longiores dispescere cogeretur (conf. Cas. IV 4, 21. 23—27. Epid. III 4, 44. 47—48. 67. Most. 763—764. 766. 769. 774—775), plus semel non modo totas senariorum scaenas ita instituit, ut a primo uersu ordiretur (conf. Trin. II 3. Pseud. IV 5), uerum etiam in earundem scaenarum partibus modo hanc modo illam rationem secutus est (conf. Men. II 1, 1—4. 5—47. II 2, 1. 2—10. 11—24. 25—26. 27—28. III 3, 1—16. 17—31. 32—34). Itaque in folio 245^v qui praeter paucissimas reliquias euanuerunt Cistellariae uersus quod non eodem a margine distant interuallo atque senarii prioris paginae, minime inde colligi licet metri factam esse mutationem.

Restat ut exponatur, signorum in codicis scriptura exprimenda adhibitorum quae ratio sit:

earum litterarum, quibus nullum signum additum est, lectionem eatenus certam esse scito, quatenus de certa lectione cogitari posse, ubi de libris palimpsestis agitur, inter eos constat, qui in eius modi libris describendis operam collocauerunt;

litterae umbra si parum certa est, quam ut ueritas lectionis praestari possit, punctum infra lineam additum est;

litterae lectio si propter atramenti pallidum colorem incertissima est, interrogationis signum supra lineam appositum est;

interrogationis signum supra lineam et punctum infra lineam addita indicant, litterarum uestigia ita euanuisse, ut, quod positum est, coniecturae potius tribuendum sit, cui nihil sit quod repugnet, quam certae lectioni;

si pro ea, quae in ipso uerborum contextu posita est, littera de alia quoque littera cogitari

⁸¹) Semel in Sticho contra morem summi librarius extrema uersus 687 uerba cum subsequenti uersus 688 uerbis coniunxisse uidetur. qua de re expositum est in Addendis pag. 498.

